

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 719

**Auteur(s)** : Hugues II, Sées (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1234, juin

**Action juridique** : règlement conflit

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Charte de Hugues II, évêque de Sées, au sujet de l'accord fait autrefois entre les moines du Tréport et Robert de Monbrai pour les dîmes de Bazoches

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CLXII, p. 181-182.

Texte établi d'après a

Universis sancte matris Ecclesie filiis presentes litteras inspecturis Hugo, divina permissione Sagiensis ecclesie minister humilis, eternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra nos quasdam litteras inspexisse venerabilis patris Willelmi, Abrincensis quondam episcopi, et religiosorum virorum Roberti Sancti Andree de Goffer et Walteri Sancti Johannis de Falesia abbatum, sigillis propriis sigillatas, in quibus vidimus contineri quod, cum inter abbatem et conventum de Ulteriori Portu, ex una parte, et Robertum de Mombraio, personam tunc temporis ecclesie de Basoches, ex altera, coram venerabili patre Waltero, quondam Rothomagensi archiepiscopo, super decimis et possessionibus aliis ad ipsos et ecclesiam de Basoches pertinentibus questio verteretur, tandem utraque parte in predictum episcopum et supradictos abbates, super premissis rebus, et ut terminum procurarent, in hoc modo sopita est, quod dictus Robertus de Mombraio recognovit in jure, et confessus est, quod due partes omnium decimarum bladi et leguminum totius predictae parrochie, de jure et antiqua consuetudine, ad supradictos abbatem et monachos pertinebant. Recognovit preterea idem Robertus quod medietas decime lini et cannabi, agnorum et porcellorum, lane et fructus gardinorum, et medietas omnium denariorum die Natalis Domini, et Pasche et Ascensionis Dominice, ad eosdem monachos in usus proprios pertinebant ; et omnis controversia et contentio, que super predictis inter partes versabatur, in presentia predictorum episcopi et abbatum conquievit. Unde nos, pietatis intuitu et ad supplicationem viri religiosi abbatis Sancti Michaelis Ulterioris Portus et ejusdem loci conventus, predictam ordinationem a prefatis arbitris celebratam, sicuti facta fuerat juste et canonice, duximus confirmandam. Et ut confirmatio nostra obtineret roboris firmitatem, eam fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum anno Domini M°. CC°. XXX°. IIII°, mense junii.